

mus, unanimiter et concorditer accessisse, similiter hanc litteram sigillo nostro fecimus communiri. Actum et datum Misnae anno domini M^o. CCC^o. XVII. XV^o. Kalendas Septembris pontificatus nostri anno quinto. Testes huius sunt honesti viri dominus Conradus praepositus, Busso prior sanctae Aefrae, dominus Herbordus, dominus Conradus de Colonia, dominus Conradus Thuringus perpetui vicarii ecclesiae Misnensis, magister Hermannus de Vriberc officialis noster, Henricus notarius noster et alii viri quam plures idonei ac fide digni.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an rothen und gelben seidenen Fäden.

No. 366. 1318. 1. Mai.

P. Johann XXII. richtet an den Bischof eindringlichst die Aufforderung den in Böhmen, Polen und den Nachbarländern (auch in Meissen) eingerissenen Ketzereien zu steuern, sowie die von ihm hierzu ernannten Inquisitoren mit Rath und That zu unterstützen.

Johannes episcopus servus servorum dei venerabili fratri . . episcopo Missinensi salutem et apostolicam benedictionem. Cum illius pastoris pariter et custodis, qui animam suam pro ovibus suis posuit et qui ex iis, quas pater sibi dederat, aliquam non ammisit, vices licet immeriti geramus in terris, ut pro viribus commissae vicis exequamur officium, tenemur super gregem humilitatis nostrae curae commissum noctis custodire vigilias, ut lupis molientibus diripere gregem ipsum obviare toto conanime satagamus, et velut custos seu etiam speculator instruimur ore prophetico super speculam iugiter stare per diem et super custodiam totis lustrare noctibus, prospectare undique et pro posse singula speculari, ut annuntiemus quaecumque viderimus, et opponamus nos murum ascendentibus¹⁾ ex adverso de vinea domini Sabaoth demolientes exterminaturi vulpeculas, et de veri vestiario Salomonis corrodentes tineas exclusuri, propter quod Hebrae patris fidei typum gerentes in dei ecclesia ad catholicae fidei tuitionem afficimur ipsiusque desideramus ubilibet incrementa producere, ac eam a malignorum et pravorum quorumlibet haereticorum praesertim atque credentium fautorum defensorum et receptatorum illorum dolosis insidiis et fallaciis fraudulentis opportunis remediis praeservare. Sane non sine amaritudine cordis accepimus, quod in aliquibus partibus regnorum Boemiae et Poloniae et in eorum confinibus et limitibus adeo patenter haereticae infidelitatis error invaluit, quod ibidem quam plurimi a via veritatis prorsus aversi²⁾ euntes post devium falsitatis, ac se ipsos diversis et variis haeresibus maculantes pestiferas ad concutiendum orthodoxae soliditatem fidei machinas construunt ipsamque subvertere falsis et vulpinis impulsibus fallacium argumentationum intendunt. Quid ergo frater tu ad haec? nunquid stabis tota die otiosus et tanquam nulla sit tibi cura de omnibus iis, qui exprobrant nomini agminum Israel, te zelo fidei non oppones? An non attendis, quod clamat ad te dominus per prophetam, ut

1) ascendentibus im Cod. dipl. Morav. 2) aversi ebend.